

Vestitus muliebris. 627*Veteranus.* 629*Viaticum.* Vid. *Communio sacramentalis.* Tom. I. p. 291. *Eucharistia.* Tom. I. p. 631.*Vicarius.* 629*Vidimatio.* 634*Visitator.* 637*Unio Beneficiorum.* 639.*Votum.* 646*Usura.* 673*Ususfructus.* 705.*Uxor.* 714

DICTIO.



DICIONARIUM CASUUM CONSCIENTIÆ.

P.

PARENTES.

Liberi tenentur obedire suis *parentibus*, patri nempe & matri; & obligatio hæc ad omnia extenditur, excepto casu, ubi pater imperaret quidpiam legi Dei vel summi Principis territorialis contrarium Filiusfamilias in persona patris sui debet respicere & venerari ipsum Deum. Interim si ageretur de amplectendo Religioso statu sæculo relicto, cum solus Deus author sit vocationis, liberi non tenentur obedire parentibus a proposito ipsos abstrahere volentibus.

CASUS I. Diodorus Religiosus professus parentes habet in maxima necessitate ac indigentia constitutos. Potestne ex suo monasterio ad tempus discedere alendi patris vel matris suæ gratia? Et supposito quod id liceat, num & habitum Religionis suæ deponere poterit, saltem ex dispensatione?

1. Peccat filius, qui Religionem ingreditur, dum pater aut mater ipsius in sæculo gravi indigentia premuntur, nec alia ratione ipsis consuli potest, quam si filius maneat in sæculo, necessariaque indigentibus vitæ subsidia ministraret, quæ in Religione vi status suppeditare haud poterit: agit enim contra jus naturale & divinum, quæ obligant filium, ut subveniat parentibus *in aliqua necessitate constitutis*, ut docet S. Thomas Quodl. 3. art. 16. & 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. Si vero, subdit S. Doctor, *non sint in tali necessitate*, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt prætermisso parentum obsequio filii religionem intrare. 2. Communis est sententia, Religiosum professum posse, imo debere ad tempus relinquere suum monasterium, ut succurrat parenti *in extrema necessitate constituto*, si aliud eundem juvandi medium non superfit; idque licentia quidem petita, licet non obtenta a Superiore: votum quippe non debet impedire executionem præcepti, quod est juris naturalis & divini. Huc quadrat illud Matth. 9. v. 13. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* 3. Filius non tenetur monasterio suo egredi, si in eo

Dist. Cas. Consc. Tom. II. A cxi-

existens possit de licentia Superioris sui, quantum necesse est, juvare parentes in magna necessitate constitutos, aut ipsum monasterium necessarium eis præstet subsidium. 4. Denique, si exeundum sit monasterio, poterit ejusmodi Religiosus deponere habitum, quando ipsi ad sustentationem parentum aliquod officium suscipiendum, quod in habitu religioso convenienter ac cum decore sui status obire haud posset; necessaria tamen ipsi ad hoc erit licentia Papæ; si non, ut plures alii existimant, sufficiat urgente negotio licentia ab Episcopo vel Superiore obtenta. *Fromageau.*

CASUS II. Puella quædam, invita matre, imo repugnante, aspirat ad communitatem religiosam. Licitene poterit ingredi Religionem?

R. Potest pergere in concepto semel proposito. Quando enim agitur de eligendo statu ad consecrandum se Deo, filix & filii non tenentur obedire parentibus; sed liberi sunt. *Fromageau.*

CASUS III. Vidua quædam a parentibus domi suæ detinetur quasi in custodia, & interdum etiam verberibus affligitur; ut sic abstrahatur a proposito nubendi juveni helluoni, pauperi ac infami. Potestne excusari modus hic agendi parentum?

R. Non certe est reprehendendus: si enim ex una parte filiafamilias non potest absque crimine contrahere matrimonium, quod vergeret in opprobrium & dedecus totius suæ familiæ, essetque fons ac origo mille turbarum, quibus consanguinei per mutua odia inter se dividerentur; poterunt quoque ex altera parte parentes impedire tale matrimonium; & sic impediendo nihil faciunt, quod præjudicet libertati filii ac filiabus ad eligendum certum vitæ statum concessæ; quia juxta *Laymannum de spons. tr. 10. p. 1. c. 2.* hæc libertas non plus nec aliter subsistit, quam in quantum liberi eadem sine crimine utuntur. Cæterum viduitas filix non aufert parentibus potestatem ipsam verberibus castigandi: si enim potestas hæc adeo est ampla, ut se extendat ad filios actu jam emancipatos, uti advertit Bossius, nixus auctoritate plurium imo plerorumque Doctorum; quanto magis debet se extendere ad filiam, tametsi viduam, quæ supponitur subjecta suis parentibus. Melius tamen agerent parentes, si judicis auctoritatem implorent; quia difficile est in ejusmodi castigatione debitam servare moderationem, tum attenta qualitate sexus, tum attenta parentum indignatione. C. B.

CASUS IV. Bertha invitis parentibus matrimonium contrahit cum quodam milite. Hi ob rei indignitatem & filix inobedientiam nec visu nec alloquio ipsam dignantur amplius; etiam postquam inobedientiæ veniam petiit. An non peccant?

R. Si parentes, qui supponuntur esse homines plebeji, in perpetuum vel ad tempus valde notabile a conspectu suo filiam arceant, peccant graviter; quia contra ipsam animo sovent odium, quod nimium quantum excedit culpam puellæ haud supra vulgarem conditionem eminentis; præsertim postquam delicti sui veniam petiit. Si vero ad modicum duntaxat tempus ipsi colloqui recusent, nec eam in conspectum admittant, nullum peccatum committunt, debetque sibi imputare filia severitatem hanc parentum suorum, tanquam justam punitionem suæ inobedientiæ. C. B.

CASUS V. Petronius vir alioquin bonus filium habet lusu ac ebrietati penitus addictum, Timens autem, ne uxorem suam offendant & ferocem filii indolem magis exasperet, excessus hos omnes ignaviter dissimulat. An a peccato excusari potest?

R. Nimia hæc patris indulgentia omnino inexcusabilis est: si enim quilibet juxta Apostolum 1. Cor. 5. curam habere debet domesticorum suorum, quanto magis pater vigilare tenetur, ut liberi a peccatis avertantur, in pietate educentur, bonis moribus imbuantur, ac in virtute roborentur, adhibitis in hunc finem objurgationibus, ac paternis in delinquentes punitionibus. Hinc, nisi Petronius justissimas rationes habeat timendi, ne increpationes ac correctiones ipsius futuræ sint inutiles, vel alium non fortiantur effectum, nisi quod pejor fiat filius & in furias agatur, gravissime peccat, perveriam vitæ ipsius ac morum licentiam dissimulando. C. B.

CASUS VI. Sempronius debitis supra modum oneratus non potest satisfacere suis creditoribus, quin ex convenienti dote filiarum suarum, quam illis destinasset, portionem subtrahat. Estne obligandus ad talem diminutionem?

R. Vel agitur tantum de aliqui diminutione; & dico cum majori Doctorum numero, Sempronium teneri ad talem diminutionem, sicuti etiam in tali casu obligatur ad minuendas suas expensas pro victu & vestitu &c. Aut vero quæstio est de diminutione valde notabili; & tunc ulterius quæro, an per ejusmodi diminutionem dotis mutaretur notabiliter in pejus conditio seu status harum filiarum ju-

ste acquisitus, & tunc sentio, Sempronium non esse obligandum ad diminutionem dotis; nemo enim tenetur decidere a proprio statu iuste acquisito, ut satisfaciat creditoribus. Idem dicendum, si diminuta dote filiae sponsum non inveniunt cum periculo pudicitiae suae. Si autem dotis diminutio non multum immutat statum filiarum, aut hic status fuisset iniuste acquisitus, absque dubio Sempronius tenetur diminuere dotem. C. B.

NOTA. Responso hæc non ubivis locorum acceptari posset vi legum particularium: videmus enim quotidie integras familias ære alieno oppressas, domibus ac bonis suis cum liberis ejectas, ac ad statum mendicitatis redactas in favorem creditorum. Vide *Liberi*.

PAROCHIA.

I. *Parochia* est Beneficium habens annexam curam animarum. Omnes parochiae subjectae sunt jurisdictioni Episcopi, etsi sint parochiae Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, aut aliorum Religiosorum Ordinum. Collatio parochiarum, ad quas nominat Episcopus, pertinet ad Capitulum Sede vacante. Parochiae Abbatibus, Prioratibus, ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis unitae loco ac titulo Vicariatus perpetui habendae sunt.

CASUS I. Potestne Clericus Beneficium curatum possidere ante annum ætatis vigesimum quintum?

R. Non potest absque dispensatione; neque tali Clerico absque dispensatione ab Episcopo concedenda est approbatio, seu *Visa*. De *Lamet*.

CASUS II. Clericus quidam provisus de parochia per integrum annum eam retinuit; sed non administravit.

R. Non potest resignare hoc Beneficium, reservata sibi pensione; dumque permittitur talis reservatio, gravem subesse causam oportet: hæc ni subit, datur obligatio omnia restituendi, quæ ex iniuste reservata pensione percepta sunt. *Fromageau*.

CASUS III. Religiosus quidam ex Ordine reformato petit parochiam.

R. Religiosus Ordinis reformati ad parochiam nominari non potest ex solo consensu Episcopi ac Superiorum suorum; sed opus est insuper expressa dispensatione Pontificis, & quidem antequam nominetur ad parochiam. *Fromageau*.

NOTA.

NOTA. Benedictus XIV. in sua Constitutione, *Apostolici*, edita 1757. excipit Canonicos Regulares.

CASUS IV. Possuntne parochiani idem retinentes domicilium adscribi in aliam parochiam?

R. Non possunt, etiam si Dominus loci mutet domicilium suum, relictis in eodem domicilio domesticis suis: limites enim parochiarum ab Autoritate superiori constituti sunt, ne Ordo Ecclesiae confundatur; & hinc nemo privatus potest limites mutare. *Fromageau*.

CASUS V. Dantur parochiae, in quibus constitui debent vicarii perpetui?

R. Capitula in parochiis, in quibus Primitivorum parochorum titulo gaudent, constituere debent vicarios perpetuos, & non Sacerdotes amovibiles. Hinc Sacerdos quispiam legitime potest obtinere in Curia Romana provisionem, & ab Episcopo suo approbationem ad talem parochiam, quæ ab amovibili tantum vicario administratur. *Fromageau*.

CASUS VI. Quid agendum parochio, qui parochiae suae per quadraginta jam annos administratae renunciare vult, & Romæ pensionem ex ea obtinere non potest?

R. Pure & simpliciter resignandum est ipsi Beneficium suum in manus Episcopi, a quo noviter provisus obligandus est ad solvendam quotannis certam summam parochio resignanti, si aliunde non habeat, unde vivat. *Fromageau*.

CASUS VII. Parochia quaedam redditus habet nimium tenues.

R. Episcopus potest cum ea unire Canonicatum; servatis tamen debitis formalitatibus. *Fromageau*.

CASUS VIII. Capitulum quoddam est in possessione parochiam suae mensæ incorporatam administrandi per vicarios amovibiles.

R. Capitulum potest continuare hanc possessionem, quamdiu turbatum non fuerit. Imo citra simoniam potest locare his vicariis proventus parochiae fortuitos, ac incertos: fatendum tamen, hanc consuetudinem valde esse indecentem, & gravibus inconvenientiis obnoxiam. De *Lamet*.

CASUS IX. Clericus quidam, qui passim habetur pro homine contentioso, & tanquam calumniator damnatus est, obtinuit parochiam.

R. Indignus est, qui parochiam possideat; & Episcopus ei provisiones denegare debet, sicut cuivis alteri indigno. *Fromageau*.

A 3

CA-

CASUS X. Parochus quidam, cum ecclesie suae parochiali aliam ecclesiam haberet annexam, diebus festis bis celebrat Missam.

ꝛ. Episcopus non debet huic parochi permitttere, ut feria sexta Majoris hebdomadae bis Officium celebret. *De Lamet.*

CASUS XI. Ampla quaedam parochia pro functionibus parochialibus tantum habet Sacellum in ecclesia Cathedrali, & non nisi duos vicarios amovibiles.

ꝛ. Episcopus pro hac parochia constituere debet vicarium perpetuum. Id ut consequatur, in Romana Curia Titulum impetrandum curet alicui administrandae parochiae idoneo. Verum alias ibi celebrari Vesperas non est opus praeter Vesperas Ecclesiae Cathedralis. *De Lamet.*

CASUS XII. Cur conformiter ad mentem Concilii Tridentini parochiae non sunt uniendae Monasteriis?

ꝛ. Quia oblationes in parochiis fieri solitae sunt destinatae pro pauperibus ac indigentibus, & non pro sustentatione Religiosorum. *De Lamet.*

NOTA. Ut otineatur intentio Tridentini, expediret; ut nulli parochi concedatur facultas testandi vel resignandi, nisi sub actuali dispositione mortis causa, dimidium residuorum relinquendi pauperibus parochiae &c.

PAROCHUS.

1. *Parochi* a Christo instituti sunt tanquam septuaginta duorum discipulorum successores ad spiritualem fidelium sibi subditorum gubernationem sub inspectione & autoritate Episcoporum. Praediti esse debent magna animi fortitudine, constantia, ac veritatis zelo. Cum parochi, & caeteri, quibus animarum cura incumbit, aut qui sunt quibusdam addicti ministeriis, quorum partes implere debent, suis non possint obligationibus satisfacere, nisi resideant in locis, ad quae eos vocat ratio Officii, in iis necessario personaliter residere tenentur. Parochi tenentur callere linguam parochianorum suorum; alias enim forent ipsis inutiles, & provisiones eorum eo ipso essent nullae. Praeterea indispensabiliter tenentur instruere populum concionibus, & parvulos catechesibus, pro parochianis suis Sacrificium Missae offerre, ipsis debito tempore necessaria Sacramenta administrare; diligenter aegros invisere, ipsisque, pauperibus aequae ac divitibus, usque ad mortem assistere, praescripta in Rituali dioecesa

cesano exacte servare; ac denique foundationibus ecclesiarum suarum rite satisfacere.

2. In Gallia specialibus Edictis cautum est, ne quis Sacerdos admittatur ad ullam parochiam, nisi sit origine Gallicus. Parochi in districtu parochiae suae habent jus recipiendi testamenta parochianorum suorum; modo in iis non continetur legatum in privatam parochorum utilitatem, simulque observetur praescriptum Articuli 63. Edicti Bleffensis. Tenentur penes se habere libros, in quibus diligenter annotandi sunt baptizati, nubentes, ac sepulti.

3. Parochus non fit simul Officialis aut Promotor. Vicarii perpetui habentur pro veris parochis. Parochus jure curandum sibi petit habitationem sumptibus parochianorum suorum; maxime si reditus non sufficiant, ut & ipse quidpiam cum iis possit contribuere. Non potest impedire, quo minus corpus defuncti parochiani tumuletur in loco, quem ipse sibi pro sepultura elegit. Jus habet concionandi, posthabito omni Concionatore extero. Tenetur publicare, ac populo denunciare omnes literas monitorias ab Officiali dioecelano ad ipsum missas, nec sub ullo praetextu ab istiusmodi publicatione privata autoritate se eximere potest.

4. Quando constructur domus in territorio duarum parochiarum, censetur pertinere ad eam parochiam, in qua est porta principalis.

5. Parochus habet jus colligendi decimas fructuum intra limites suae parochiae. Verum cum alii frequenter existant Beneficiati Decimatores, dantur plures parochi, qui tantum habent congruam, quae fixa est ad 300. libras pro parochis nul um habentibus vicarium, & ad 400. libras pro iis, qui habent vicarium. Praeterea parochus habet jus levandi decimas minores, & Novalium, non obstantibus privilegiis Ordinum Melitenfis & Praemonstratensis.

6. Quando praeter parochum actu administrantem parochiam habetur adhuc alius parochus, quem Primitivum vocant, hic habet jus in quatuor solemnioribus anni Festis, ac in Festo Patroni ecclesiae in parochia divinum celebrandi Officium, si tamen possessio hujus juris sublata non est; & parochus ordinarius quoad hoc eum impedire non potest: nul lum tamen habet jus exercendi alias functiones parochiales, hasque exercendi potestas specialiter reservata est parochi ordinario aut vicario perpetuo, ita, ut si hic etiam permitteret parochi Primitivo excipere confessiones, haec permissio & consensus ipsi foret inutilis, si ad excipiendas confessiones non sit approbatus ab Episcopo dioecelano.

CASUS I. Riguerius parochus, cum nec talentum possideat publice concionandi, nec felicis sit memoriae, quinque aut sex tantum habet conciones per annum; & in his consistit tota instructio parochianorum suorum.

¶ Videtur dubitari non posse, quin parochus iste peccet, & quidem mortaliter 1. quia agit contra rigorosam legem divinam: *ut pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos, gregem autem meum non pascebatis* Ezech. 34. 2. Concilium Tridentinum præcipit Episcopis, ut censuris animadvertant in parochos, qui prævie moniti perseverant in negligentia satisfaciendi huic obligationi, aut per se ipsos, aut per alios, si legitime impediti fuerint *Seff. 5. c. 2. de Reform.* Censuris autem non feriuntur nisi peccata mortalia; 3. Casuistæ etiam laxiores peccati mortalis arguunt parochum, qui integro mense aut tribus mensibus per decursum totius anni salutarem doctrinam populo subtrahit. Ad hæc merito contremiscant plurimi parochi, qui vix semel per annum plebi suæ sacræ doctrinæ pabulum propinant. *Pontas.*

CASUS II. Pamelius parochus habet vicarium multo se aptiorem; & hinc illi committit fere omnes functiones parochiales, præsertim exhortationes públicas.

¶ Peccat Pamelius, si absque justa causa non personaliter instruat parochianos suos, aliasque functiones parochiales exerceat: vel enim est capax digne obeundi munus suum, vel non? si est capax, & tamen illud non obeat per semetipsum; ejus negligentia est graviter peccaminosa: si vero non est capax, tenetur renunciare Beneficio suo. Hanc in rem observandum 1. parochianos plerumque libentius audire proprium parochum, etsi minus doctum, quam alium Sacerdotem etiam doctiorem, dummodo alias moribus sit irreprehensibilis, ut ratione status ac vocationis suæ esse debet. 2. Functiones pastorales, maxime instructionem populi spectantes sunt gravioris momenti ac magis necessariae fidelibus, quam canonicæ; & tamen Concilium Tridentinum præcipit, ut canonici ipsimet personaliter obeant functiones suas, etsi habeant vicarios aut cantores pro salario. Multo magis ergo ad id tenentur parochi. Adverte autem, de parochio, qui expletis semper cum fervore functionibus suis in ministerio sacro consenuit, & jam præ infirmitate ad populum dicendo impar evasit, non tam rigide sentiendum, ac de illo, qui absque talento, absque capacitate concionandi munus parochiale rapuit. Prior omni honore dignus meretur veniam ac commiserationem; posterior vero a cura pastorali arcendus, saltem nisi aliæ dotes, autoritas,

pru-

prudens angendi ratio &c. eum assumendum suadeant. *Pontas.*

CASUS III. Meletius parochus audiens, hostes brevi irrupturos in parochiam suam, eam deserit animo salvandæ vitæ suæ.

¶ Si hostes sunt ex numero hæreticorum posterioris temporis, crudeliter persequentium Catholicos, prudenter faceret parochus, si se reciperet in locum tutum, unde suos fideles consolari posset per epistolâs, & post persecutionem denuo rediret ad Ecclesiam suam. Sed hoc tunc solum liceret, si daretur Minister alius, qui posset ac vellet supplere absentiam parochi. In omni alio casu graviter peccaret parochus derelinquendo gregem suum. *Pontas.*

CASUS IV. Theodulus parochus, cum pestis ingentem jam stragem edidisset in parochia sua, aufugit, relictis ac substitutis loco sui duobus aliis presbyteris, qui succurrerent pestiferis.

¶ Non potest tuta conscientia in his circumstantiis relinquare parochiam suam, sicut nec Episcopus in simili casu diocesis. Nihilominus potest sibi tempore contagionis jungere alium presbyterum approbatum ab Episcopo, qui inserviat pestiferis, si potior pars parochianorum nondum est infecta; ut sic ipse inserviat sanis, alioquin eum non admittitur, si & ipse ad pestiferos accederet. Observandum hic, quod in aliquibus diocesis Galliæ praxis administrandi pestiferis Eucharistiam & extremam unctionem sit hæc: Sacra Hostia involvitur papyro vel linteo, & in aliquo loco deponitur, ubi ab ipsomet infirmo commode sumi possit: quoad extremam unctionem, sumitur longior baculus, ejus extremitati infigitur gossipium intinctum sacro oleo infirmorum, & sic presbyter in aliqua ab infirmo distantia adhibitis adhuc aliis cautelis inungit infirmum. *Pontas.*

CASUS V. Hugo parochus, cum haberet in sua ecclesia hebdomadatim quatuor fundatas Missas, nempe diebus lunæ, Martis, Mercurii & Veneris, nec iis posset semper satisfacere ob incidentes quandoque Sepulturas, Nuptias, ob infirmitatem, iter, aut aliud impedimentum, omnes fere has Missas in dies Dominicos ac festos differt; & consequenter iis diebus non applicat pro parochianis suis. Putat quidem id esse licitum, eoquod plures Casuistæ id permittant; quia tamen scit, alios sentire contrarium, & ipse sentit scrupulum.

¶ Merito sentit scrupulum: in primis enim non potest absque iniustitia privare parochianos fructu Sacrificii. Dein peccat Missas fundatas ad certum diem differendo in Dominicis & Festa. Solus Episcopus potest ex causa legitima quidpiam immutare in ejusmodi fundationibus. Sacra Congregatio jam sæpius stabilivit non solum obligationem parochorum singulis diebus Dominicis & festis applicandi Missam pro parochianis; sed insuper declaravit, parochum, qui ex ipso Beneficio suo percipit redditus plusquam sufficientes ad honestam sustentationem, obligari ad celebrationem Missæ singulis diebus pro plebe sua, nisi circumstantiæ particulares, v. g. antiquæ fundationes, id impediunt. Pontas.

CASUS VI. Apronius parochus diocesis Tolosanæ peregrinatur in diocesi Montis-Pessulani, ibique reperit duos suorum parochianorum, quorum, cum confiteri velent, ibi confessiones excipit.

¶ Potuit eorum confessiones excipere; absolutioque est valida, etsi extra suam diocesi collata. Pontas.

CASUS VII. Episcopus Abulensis in Synodo sanxit, ut parochi diocesis deinceps confiteri non possint, nisi illis parochis, quos ipse pro confessariis parochorum designaverat. Plures eorum huic ordinationi non parentes confessi sunt, sicut prius, parochis non designatis ab Episcopo, aut aliis presbyteris per diocesi approbatis.

¶ Videtur dici posse, eorum confessiones esse validas. I. Quia id erui videtur ex Decretali Gregorii IX. ubi cap. fin. de pœnit. Pontifex sic ait: *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum imminet animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælati exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.* Jam autem parochi sunt & Superiores & Prælati minores. Prælati secundi ordinis dicuntur a Gersono, & Ecclesiarum minores Principes a D. Thoma part. 3. q. 67. art. 2. ad 2. Ad hæc, cum parochi frequenter teneantur administrare Sacramenta, optime illis quadrat illud: *ne periculum imminet animarum.* Cum igitur privilegia Sacerdotum inviolata debeant manere, non est censendum, Episcopum iis præjudicare potuisse. 2. Parochis patrocinatur immemorialis, legitime præscripta ac solidis rationibus innixa consuetudo eligendi confessarium inter approbatos, quem libuerit. Motivum insuper præfatæ Decretalis: *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum imminet animarum,* magis ac propius respicit parochos quam Episcopos, qui non ita frequenter baptizant, confessiones excipiunt, aliaque Sacramenta administrant, ut parochi. Pontas.

NOTA,

NOTA. Adductæ rationes satis quidem movere possunt Episcopos, ne statuant quidpiam adversus antiquas consuetudines; non ita tamen certum est, ex iis securitatem præstari parochis in hoc casu comprehensis. 1. Quia plurimi eximii interpretes per hæc verba, *aliis Superioribus*, intelligunt eos, qui sunt supra Episcopos simplices, iisque honore ac dignitate præminent. 2. Quia parochi ne semel quidem in universo jure Canonico veniunt simpliciter sub nomine Prælatorum; multo minus dici possunt Prælati exempti, de quibus solis Gregorius IX. loquitur. Consuetudo non habet majorem firmitatem quam lex: lex autem potest revocari aut suspendi, quamprimum incipit vergere in malum communitatis; id quod in præsentè casu ex dicta consuetudine quandoque evenire fors novit Episcopus. Et hinc, cum aliud sit approbatio, & aliud jurisdictione, si Episcopus non obstante generali approbatione jurisdictionem aliis parochis non designatis limitasset ad alios poenitentes non parochos, sicut Superiores Regularium solent limitare & denegare jurisdictionem in suos religiosos omnibus confessariis non designatis a se, confessiones in casu posito forent invalidæ.

CASUS VIII. Aurelius cum nollet confiteri suo parochio, ab eo tempore Paschali petiit licentiam confitendi alteri parochio vicino.

¶ Parochus Aurelii non potest absque peccato hanc illi denegare licentiam, dummodo parochus vicinus sit talis, qualis esse debet. Peccaret Sacerdos, inquit S. Thomas, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri. Unde qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciunt, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis. Ex eadem ratione, si Superior regularis denegaret confessario pro Communitate designato licentiam absolvendi Religiosum a casu reservato, quem incurrit, ille nihilominus etiam non obtemperata facultate pro hac vice posset eum absolvere juxta Decretum Clementis VIII. de 26. May 1593.

CASUS IX. Tertullus parochus secreto scit, quemdam suorum parochianorum promississe cuidam puellæ pariter parochianæ Matrimonium. Puella dein rogat Tertullum suum parochum, ut coram Judice hujus veritatis testem ageret.

¶ Tertullus debet veritatem testari; quia agitur de gravi damno, quod puella pateretur. Si tamen Tertullus novisset rem qua parochus, id est, ratione confidentiæ, quam parochianus in eo tanquam pastore suo posuit, haud absque ratione dici posset, eum teneri ad servandum secretum, non minus ac advocatus, chirurgus aut obstetrix tenentur quoad secreta sibi concredita. Cum parochus sit pater spiritualis suorum parochianorum, gaudet privilegio legis, qua pater non admittitur ad ferendum testimonium contra liberos suos. Pontas.

CA-

CASUS X. Valdradus obtinuit parochiam, in qua parochiani utuntur idiomate sibi prorsus incognito; constituit tamen sibi vicarium, & alium presbyterum, quorum uterque linguæ hujus peritissimus est.

ꝑ. Nisi Valdradus adeo felicis sit memoriæ, ut intra breve tempus addicere possit linguam parochianorum suorum, non potest retinere parochiam: imo ad hoc ipsum requiritur consensus Episcopi sui, sine quo nec hoc tempore functiones parochiales committere potest vicario suo. Regula generalis est, parochum inter & parochianos necessarium esse idioma, quo mutuo uti possint; alias pastor vix non penitus inutilis foret ovibus suis. Hinc & juxta regulam vigesimam Cancellariæ Romanæ provisiones in simili casu obtentæ nullius sunt roboris. *Pontas.*

CASUS XI. Cassius parochus incurrit irregularitatem, eoquod in actuali suspensione Missam celebrasset; hoc tamen non obstante benedixit nuptiis duorum parochianorum suorum.

ꝑ. Potuit simpliciter assistere huic matrimonio, illudque sua præsentia reddere validum; non tamen potuit illi benedicere; potuisset tamen alteri Sacerdoti eam benedictionem committere; sicut parochus etiam notorie irregularis ex delicto potest alteri Sacerdoti approbato potestatem delegare in ecclesia parochiali confessiones excipiendi, licet ipsemet non possit excipere: delegatio enim non est actus Ordinis, sed solum jurisdictionis. *Pontas.*

NOTA. Author supponit, Sacerdotem non esse ministrum matrimonii, contra plurimos insignes Theologos oppositum sentientes. Et posito etiam, quod non sit minister, data responsio adhuc patitur difficultatem; quia, ut existimat *Gibert*, vel simplex assistentiæ Sacerdotis ad celebrationem matrimonii foret actus parochialis & ecclesiasticus, quem exercere irregulari denunciato non videtur licitum. Si autem juxta valde probabilem sententiam parochus matrimonio non assistat tanquam merus testis, sed tanquam minister Sacramenti, non licet irregulari assistere matrimonio ob periculum irreverentiæ committendæ per collationem Sacramenti.

CASUS XII. Didacus obtinuit parochiam per simoniam confidentialem occultam, ac consequenter incurrit suspensionem & excommunicationem. Nihilominus cepit possessionem parochiæ, & non obstante nullitate tituli sui, plurimum parochianorum suorum confessiones exceptit, aliasque functiones parochiales exercuit.

ꝑ. Absolutiones ab eo collatæ sunt validæ; 1. quia habet titulum coloratum, cum provisiones suas obtinuerit a Super-

Superiore legitimo, vel saltem reputato ut tali. 2. Quia intervenit error publicus, cum a tota parochia habeatur pro parochio legitimo. 3. Quia in eo non reperitur impedimentum juris naturalis aut divini, sed solum juris Ecclesiastici. Concurrentibus hisce conditionibus Ecclesia supplet jurisdictionem. *Pontas.*

CASUS XIII. Arnaldus parochus publice agnitus pro hæretico & schismatico, imo etiam per sententiam excommunicationis aut degradationis abscessus a communione fidelium, secreto exceptit confessiones quorundam parochianorum suorum.

ꝑ. Hæ absolutiones sunt nullæ; quia ad validam absolutionem requiritur jurisdictione in pœnitentes: hæreticus autem aut schismaticus, qualis esse supponitur Arnaldus, omni jurisdictione caret. *Pontas.*

NOTA. Hæretici, etiam notorii non privantur jurisdictione ante sententiam judicis.

CASUS XIV. Volusianus parochus rogatur a parochianis suis, ut contribuat cum iis ad reparationem tecti ecclesiæ totaliter destructi per aliquam tempestatem. Id vero recusat, dicens; cum parochiani teneantur parochio providere de habitatione conveniente, eos etiam teneri sibi providere de ecclesia, in qua possit celebrare divina; sicque, si redditus pertinentes ad fabricam ecclesiæ non sufficerent, parochianos teneri ad suppiendum defectum.

ꝑ. Hæc ratio parochi justa non est: si enim redditus pertinentes ad fabricam non sufficiant, parochus ex suis proportionaliter contribuere tenetur una cum parochianis. Ita statutum in pluribus Conciliis, quod amplius dein firmatum fuit per Edictum Blesense art. 52. ubi Henricus III. etiam per invasionem bonorum temporalium adstringendos jubet parochos, ut ad reparationes ecclesiarum pro ratione reddituum suorum & ad arbitrium Prælatorum conferant. Notandum hic venit 1. communem in Gallia consuetudinem esse, ut parochus, vel decimator major, si quis est, ferat expensas pro reparatione Chori, parochiani autem pro reparatione navis ecclesiæ. 2. Excipiendi tamen sunt parochi aut vicarii amovibiles, & illi, quorum redditus necessariam sustentationem non excedunt. *Pontas.*

NOTA. In hac re attendendæ sunt leges, consuetudines, vel observantiæ, particulares locorum legitime præscriptæ,

CASUS XV. Germundus parochus ruralis sæpe negligit interesse Conferentiis ecclesiasticis in sua diocesi ab Episcopo institutis.

ꝑ. Hæc ipsius inobedientia erga Episcopum suum in materia tanti momenti a peccato excusari non potest. *Pontas.*

CASUS XVI. Parochus quidam gerit negotia Domini territorialis parochiæ suæ.

ꝑ. Si exinde ingentia commoda retrahat pro pauperibus, ac pro bono Religionis, tuta conscientia poterit operam suam impendere pro re temporali Domini territorialis parochiæ, tamen scientibus ac probantibus id Episcopo suo, Vicario Genetali, ac confessorio. *Fromageau.*

CASUS XVII. Teneturne parochus docere parochianos suos per semetipsum?

ꝑ. Tenetur personaliter docere parochianos per conciones ac catecheses publicas diebus dominicis ac Festis solemnibus: non tamen teneretur singulis Dominicis ipse personaliter concionari, si pro digna præparatione ad concionem non sufficeret ipsi una hebdomada, & si aliæ functiones parochiales, quas obit, non æque utiliter exercentur a vicario suo. *Fromageau.*

NOTA. Tenetur singulis Dominicis vel per se, vel per vicarium habere concionem, saltem Homileticam, prælegendo, & exponendo caput Scripturæ, qui modus homileticus minori indiget studio, & minori intensione memoriæ, nec gaudet minori fructu, si more Patrum fiat.

CASUS XVIII. Parochus quidam, cum propter infirmitatem Beneficio suo deservire non amplius posset, illud resignat amico cuidam, certa spe fretus, fore, ut semper cum eo vivere possit in parochia, nec unquam deseratur,

ꝑ. Parochus minime peccat per hanc resignationem; & reiterata promissa, quibus ei amicus se obtrinxit, se semper ejus rationem habiturum, nec unquam eum relicturum, nullam prorsus simoniam continent; neque obstant, quominus parochiæ possessionem capere possit. *Fromageau.*

CASUS XIX. Potestne parochus interdicere presbyterum suum in Parochia commorantem & delinquentem, aut nuntantum desuper monere Episcopum? An Concilium Provinciale Rothomagensis de anno 1581. concedit parochis potestatem omnibus functionibus clericalibus interdicens presbyterum non assistentem Officio parochiali, maxime diebus Dominicis & Festis? Potuitne hoc Concilium parochorum potestatem limitare in quibusdam casibus? Possuntne parochi

chi proprie ac privata auctoritate statuere, quidquid pro bono statu Ecclesiarum suarum opportunum judicaverint? An mens ac propositum Concilii Rothomagensis fuit novam potestatem parochis concedendi in eorum parochiis? Suntne parochi suis in parochiis quasi Episcopi, excepto quod non possint conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis? Habentne potestatem quamdam jurisdictionis?

ꝑ. Parochus non habet potestatem nisi gubernandi parochianos suos in consuetis ac ordinariis. Clericos interdicens potestas est penes solum Episcopum, qui potest agere in parochia tanquam immediatus Superior, independenter a consensu parochi, qui tantum est Episcopi vicarius. Parochi prohibere possunt, ne Clerici sibi subditi in propria parochia functiones obeant, nisi Episcopus sibi reservaverit eam potestatem, quæ est Jurisdictionis Episcopalis, cui Clerici simul & Laici de jure subditi sunt. Concilium Rothomagensis nunquam supposuit, parochos ratione Officii ac vi tituli sui habere aut habuisse potestatem interdicens & suspendendi Clericos parochiarum iuarum, si moniti non resipuerint. Concilium potuit limitare potestatem parochorum in quibusdam casibus: idem potest Episcopus aut Officialis nomine Episcopi. Parochus non habet potestatem provisionaliter statuendi, quidquid ipsi libuerit, non consulto prius ea de re Episcopo. Concilium Rothomagensis non concedit novam potestatem parochis interdicens presbyteros; falsumque est, mentem hujus Concilii fuisse, quod solus parochus possit provisionaliter judicare ac punire parochianos suos laicos & ecclesiasticos. Pariter falsum est, parochos in suis parochiis eandem habere potestatem, quam habent Episcopi, excepta potestate administrandi Sacramenta Confirmationis & Ordinis. Denique juxta declarationem Concilii Tridentini ad plura alia se extendit potestas Episcoporum, ad quæ se non extendit potestas Ministrorum inferiorum. *Fromageau.*

CASUS XX. Parochus quidam fuit condemnatus ad exilium.

ꝑ. Talis condemnatio parochum reddit infamem, ac consequenter irregularem. Sublata per gratiam Principis infamia tollitur etiam irregularitas, parochusque ad suum ministerium redire posset. Papa potest quidem cum tali dispensare in irregularitate, eumque ad celebrationem Missæ admittere: verum cum in Gallia per hoc non tolleretur infamia, talis non posset celebrare, nisi in locis, ubi nota non est ejus condemnatio ad exilium. Finito exilio hic parochus